

De Cardinalibus Archipræsbyteris trium Basilicarum Patriarchalium; Ac etiam de eorundem Cardinalium iurisdictione in proprijs titulis.

S V M M A R I V M

- 1 DE Archipræsbyteris trium Basilicarum Patriarchalium.
- 2 De iurisdictione Basilicæ Lateranensis in omnibus Ecclesijs, & hospitalibus sitis in solo Lateranensi.
- 3 De Cardinalibus in eorum titulis.
- 4 De Cardinali Decano in Ciuitate Veliterna.
- 5 De alijs Cardinalibus Episcopis.
- 6 De Abbate Farfensi, & alijs similibus.
- 7 De stylo Baronum, & Magnatum existentium in Vrbe.

D I S C. XLI.

In singulis Basilicis patriarchalibus, quibus Clerici sæculares inseruunt, nempe S. Ioannis in Laterano; S. Petri, & S. Mariæ Maioris, adfunt Cardinales Archipræsbyteri, qui, vt in materia iurisdictionali habetur A, sunt Prælati ordinarij, cum quasi Episcopali iurisdictione, cum Canonicis, Beneficiatis, & Clericis, alijsque ministris, & seruentibus, cum quibus priuatiam habent iurisdictionem, & cognitionem omnium causarum ciuilium, criminalium, & mixtarum, vnde propterea eas auocant, à quibuscumque alijs Iudicibus, atque ad hunc effectum retinent Vicarium, qui est Prælatus frequentius constitutus in ordine Episcopali, tanquam per speciem illius Vicarij generalis, quem habet Episcopus, atque in vltioribus instantijs, appellationis, vel recursuum, iisdem Archipræsbyteri gerere videntur speciem Præfecti Signaturæ, deputando Iudices, atque in commissione causarum appellationis cognoscendi, an rescribi debeat de appellatione ad vtrumque effectum, vel

ad deuolutiuum tantum, adeoût sint species Tribunalium, ex quibus latius patere videtur illud Archipræsbyteri S. Ioannis ex iurisdictione quæ habetur in omnibus Ecclesijs, vel hospitalibus sitis in solo Lateranensi, cum exemptione à locorum Ordinarijs, vt in iurisdictionali sede aduertitur B; Nec non quandam ordinariam iurisdictionem habere videntur in collatione aliquorum beneficiorum, vt in eorum sede habetur.

Ordinariorum speciem habent, seu figuram faciunt quoque Cardinales in illis Ecclesijs Titulorum, quæ sint Collegiatæ, vnde habeant Canonicos, Beneficiatos, Clericos, & seruentes, ideoque pariter habent Vicarium generalem, qui Prælatus esse solet, cum eadem cognitione priuatiua; Cum illis tamen moderationibus respectu Vicarij Vrbs, quæ in rerum iurisdictionalium sede insinuantur C; Quamuis enim in omnibus titulis eadem sit potestas vel iurisdictione, non tamen idem est effectus ex defectu subiecti.

Tribunalis considerabilis figuram constituit illud, quod regit Cardinalis Decanus per se ipsum, vel per eius Auditorem, ratione Episcopatus Hostiensis, dum habet plenam iurisdictionem, tam in temporalibus, quàm in spiritualibus in Veliterna Ciuitate, occasione appellationum, & recursuum à Governatore seu Vicario generali, ita gerendo etiam munus Præfecti Signaturæ super modo committendi; Aliorum etenim quinque Episcopatum cardinalitiorum iurisdictione est in spiritualibus tantum; Vnde propterea non resultat eadem figura, quoniam licet Episcopus Portuensis, qui est Vicedecanus aliquam quoque habeat iurisdictionem in temporalibus, attamen de facto modica est ex defectu subiecti, ob exiguum numerum incolarum in loco.

Speciem autem Tribunalis, & ad instar constituere seu habere videtur ille Cardinalis, qui sit commendatarius Abbatie Farfensis, non solum ob iurisdictionem ordinariam, cum clero, & populo multorum oppidorum existentium intra præfatæ Abbatie limites, sed etiam ob frequentes controuersias, quæ cadunt super

B. tit. de iurisdit. disc. 38. & 39.
C. tit. de iurisd. disc. 34.

A. tit. de iurisdit. disc. 35.

per illorum incolarum bonis, dum omnia sunt emphyteotica, & de directo domicilio eiusdem Abbatie, atque ad ipsum Abbatem seu Commendatarium pertinet deputare Iudices in omnibus instantijs; Et quando agitur de causis grauibus, deputare solet vnum ex Rotæ Auditoribus, vnde propterea illæ causæ, quas in Rota disputatas esse probant quamplures decisiones Farfenses, quas in ista emphyteotica materia habemus, ex istius Abbatis vel commendatarij deputatione cognoscuntur D; Vt etiam proportionabiliter contingit in plerisque alijs Abbatijs, quæ sunt nullius, & in quibus Cardinales eandem habent iurisdictionem & potestatem, vt præsertim sunt, Abbatie Pontiani, & Sancti Adicti, ac etiam Sublaci, & similes, quoniam ob residentiam, quam Abbates, vel Commendatarij habent in Vrbe, ita tot Tribunalium figuram facere videntur.

Prout etiam de facto eandem figuram facere videntur aliqui Barones & Magnates, qui castra, & loca iurisdictionalia habeant, dum, cum benè regulato ordine, retinent Auditores, aliosque ministros, atque statutis cuiuslibet mensis vel hebdomadæ diebus tenent Congregationes, in quibus audiuntur vassallorum recursus, & quærelæ, aduersus grauamina, quæ à Gubernatoribus alijsque inferioribus Iudicibus inferantur, quod commendabilem introductionem, & usum redolet.

D. tit. de feud. disc. 52. & tit. de emphyteus. disc. 8. & in supplemento.



De Cardinalibus Protectoribus plurium piorum locorum, Et de Iudicibus, qui per eos deputantur; Ac etiam Protectoribus, et de Generalibus Religionum.

S V M M A R I V M

- 1 Quid in Vrbe adfunt multa pia loca cum Iudicibus particularibus.
- 2 De Iudice Montis pietatis.
- 3 De Iudice Hospitalis Sancti Spiritus in Saxia.
- 4 De alijs Hospitalibus habentibus Iudices particulares.
- 5 De Iudice Societatis Annuntiatae.
- 6 De illo Hospitalis Sancti Sixti.
- 7 De illo Neophitorum.
- 8 De Iudicibus aliquorum Conseruatoriorum, vel Monasteriorum.
- 9 De Protectore Alma Vrbs Lauretana.
- 10 De Protectoribus Cappellarum Sixtinae, & Paulinae.
- 11 De Protectoribus Religionum.
- 12 De Generalibus Religionum.
- 13 De Iudice Monasterij Conuertitarum Vrbs.

D I S C. XLII.

Vamplura pia loca, ex Apostolicis indultis reguntur sub protectione Cardinalium, vel sub administratione Prælatorum, cum plena iurisdictione in ijs, quæ ad ipsa loca, eorumque personas, & bona, pertinent, adeoût tot Tribunalium speciem seu figuram constituere videantur, cum Iudicibus ac Notarijs, quæ omnia difficile est singillatim, ac distinctè recensere; Tum ob deficientem notitiam; Tum etiam quia nimiam euagationem, ab aliquo tædio non immunem, id pareret; Quare agendo de notabilioribus.

Huius naturæ est, præsertim Mons pietatis, qui circa æconomica regitur per nobilium sæcularium Congregationem, cum præsentia vnius Prælati, qui pro moderna praxi, esse solet Thesaurarius generalis, atque habet Cardinalem protectorem, qui deputat Iudicem aliquem Præla-